

DOCUMENTA

FUNDATIO PRIORATUS SORORUM NORBERTINARUM IN BRASILIA

Beatissime Pater

Priorissa Monasterii Vallis St. Catharinae Ordinis Praemonstratensis (diœc : Bredan) in Hollandia, ad pedes S. V. provoluta humillime implorat indultum fundandi novum Monasterium exemptum cum clausura papali in civitate Petropolitana, diœc. Nichtheroyensi in Brasilia, juxta votum Capitulare per secretam votationem expressum a Monialibus Vallis St. Catharinae. Moniales perfecturae numero sunt 9; domus noviter aedificata est juxta praescriptiones Decreti diei 6 Februarii 1924 S. Congregationis Religiosorum.

Singulae Moniales afferunt completam et sufficientem dotem praeterquam aliae adsunt facultates ita ut operibus externis nullo modo addictae esse debeant neque possint Moniales. Implorat humilis oratrix ut novum monasterium sub jurisdictione Ordinis Praemonstratensis sit et quidem sub dependentia Rvmi Domini Abbatis Averbodiensis in Belgio, qui habet domum religiosum in ipsa civitate Petropolitana, et ita munus Patris Abbatis exercere et curam spirituales Monialium procurare potest per proprios subditos.

Et Deus...

Vi facultatis nobis benigne commissae a S. Congreg : Negotiis Religiosorum sodalium praeposita per Rescriptum d.d. 13 Decembris h.a. sub a. 7697/30 petitam gratiam concedimus, dummodo monasterium sit ad normam Instructionis sacrae Congregationis diei 6 Februarii 1924 et S.S. Canonum dispositionem pro observantia Clausurae Papalis, et Moniales habeant redditus sufficientes pro sustentatione, et consensum libenter praestiterint pro transitu ad novam fundationem, servatisque ceteris servandis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

REINSTITAURATIO LOCI DE LEFFE IN ABBATIAM
ORD. PRAEM.

Pius PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. Refert ad nos Abbas Tongerloensis ex Ordine Praemonstratensi in territorio belgico, quod olim ad Leodiensem nunc vero ad Namurcensem dioecesim pertinet, per antiquam Abbatiam exstitisse Leffiensem, quae saeculo decimo octavo exeunte ob publicas perturbationes tunc temporis grassantes labefacta atque exstincta est. Leffiensis eadem Abbatia suam originem duxit e prioratu ejusdem Ordinis Praemonstratensis saeculo decimo secundo constituto et postea, sequenti saeculo decimo tertio, abbatiali dignitate atque auctoritate exornato, jugiterque religiosorum pietate, in populum bene factis, conspicuis viris floruit. Saeculo vero vicesimo ineunte religiosi Praemonstratenses ex gallica abbatia Ferigoletensi partem aedificiorum, quae adhuc supererant, antiquae abbatae Leffiensis redemerunt, in eisdemque satis refectis regularem vitam aliquot annos duxere; at ipsimet, cum post ultimum europaeum bellum ad propriam sedem in Gallia redire statuerint, domum Leffiensem tradiderunt Tongerloensis abbatae ex eodem Ordine religiosi, qui monasterium tandem emerunt Leffiense, ut in eodem claustralis vita denuo constitui posset. Cum propterea, vota quoque Episcopi Namurcensis et fidelium regionis obsecundans, Abbas Tongerloensis omnia, quae res postulabat, providerit; demissis verbis nunc a Nobis exposcit Abbas ipse ut, pro benignitate nostra memoratam antiquam Abbatiam Leffiensem in pristinum restituere dignaremur. Nos autem, quibus nihil antiquius est, quam ut vetusta atque illustria catholicae religionis monumenta ad debitum decus revocentur, optatis hisce ultro libenterque adnuere censemus. Quapropter collatis quoque consiliis cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi pro Regularium negotiis pertractandis praepositi sunt, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium litterarum tenore, Abbatiam Leffiensem ex Ordine Praemonstratensi intra fines Namurcensis dioecesis positam, cum proprio novitiatu, in Abbatiam sui juris restituimus, eamque privilegiis ac juribus propriis juxta constitutiones Ordinis Praemonstratensis exornamus, quae tamen Codicis Juris Canonici contraria non sint. Haec edicimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque inte-

gros effectus sortiri et obtinere, dictaeque Abbatiae Leffiensi sic denuo constitutae, nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite judicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III m. Novembris ann. MCMXXXI, Pontificatus Nostri Decimo

E. Card. Pacelli
a Secretis Status.

Brevia Apostolica N. 1134/31.

SUPPRESSIO NOVITIATUS COMMUNIS IN CIRCARIA BRABANTICA

N. 1442/31.

Beatissime Pater,

Gummarus Crets, Abbas Generalis Ordinis Praemonstratensis, ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit :

In Constitutionibus Ordinis Praemonstratensis ante revisionem ad eas conformandas legibus Codicis Juris Canonici praescribebantur duo anni novitiatus, quorum primus debebat in novitiatu communi Circariae seu provinciae, alter autem in propria Abbatia ad quam novitius erat assumptus. Haec autem regula novitiatus communis a longissimo jam tempore in desuetudinem abierat, ita ut saeculo 19^o nullibi in Ordine exstiterit nisi in Circaria Brabantica inde ab anno 1858. Hoc tempore Abbatiae istius Circariae quae post magnam perturbationem Gallicam priorem sedem denuo redintegrare potuerunt, deficiente Abbate Generali Ordinis, subiiciebantur Excellentissimo Nuntio Apostolico. Sub hujus auctoritate Superiores tunc novitiatum communem Tongerloae (Belgio) erexerunt. De hac autem erectione non invenitur documentum Excellentissimi Nuntii aut Sedis Apostolicae. Videtur ergo quod, prae parvo numero novitiorum et difficultate opportunos magistros inveniendi, Superiores iuxta antiqua Statuta novitiatum communem sine alia formalitate, communi consensu constituerunt. In renovatis nunc, uti supra dictum est, Statutis Capitulum Generale Ordinis novitiatum ad unum annum reduxit et regulam de novitatu communi delet, tum quia praeter Circariam Brabanticam nullibi in Ordine

exstat, tum quia magis conforme est indoli Ordinum Monasticorum ut singulae Abbatiae proprios alumnos educent, nisi peculiares circumstantiae aliud suadeant.

Statutum ergo fuit : « Si spiritualis formatio novitiorum suadeat aut exigat ut non fiat in proprio monasterio, Abbas novitios illos mittat ad novitiatum illius monasterii quod a Sede Apostolica pro determinata Circaria indicatur tamquam locus novitiatus communis. »

Quapropter humilis orator, prae incertitudine de interventu auctoritatis Excmi Nuntii aut Sedis Apostolicae in erigendo isto novitiatu communi in Circaria Brabantica ¹⁾, implorat ut S. V. in quantum necessarium est, illam suppressionem ratam habere, et supposito quod unaquaeque Abbatia proprium habeat novitiatum, quae supra exposita sunt de novitiatu communi approbare benigne dignetur.

Et Deus...

Vigore facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis, benigne adnuit pro gratia juxta preces.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae die 12 martii 1931.

Vinc. La Puma Secr.

Caiet. Renzetti St. adiutor.

Concordat cum originali.

GUMMARUS CRETS,

Abbas Generalis.

Mattheus-Eustachius Gonella, Archiepiscopus Neocaesarensis, Praelatus Domesticus et Pontificio trono assistens SSmi Dni Pii Papae IX et Apostolicae Sedis apud Regem Belgarum nuntius Visitator et Delegatus apostolicus Ordinum Regularium.

Dilectissimi Nobis in Christo filiis, Praepositis et Canonicis Ordinis Praemonstratensis Circariae Brabantiae, in Belgio, salutem et benedictionem.

Convocatis et auditis in Congregatione habita Tongerloae die 5a mensis julii anni 1858 omnium abbatiarum Circariae Brabantiae Ordinis Praemonstratensis Praepositis eorumque sociis quorum singuli unum e conventu suo deputatum secum adduxerat, et juxta eorum vota ea quae de communi Circariae novitiatu die 1 Novembris anni praeterlapsi statuimus, executioni mandare volentes sequentia per praesentes decrevimus et deinceps servari mandamus :

(1) Tollitur illa incertitudo publicatione documenti erectionis novitiatus communis, cujus authenticum exemplar asservatur in archivis abbatiae Tongerloënsis.

I. Novitiatum instituimus et erigimus in abbazia Tongerloënsi ad hoc unanimi voce Congregationis proposita.

II. Dominum Henricum Thijs, pro tempore suppriorum et magistrum novitiorum monasterii Tongerloënsis electum in Magistrum novitiorum totius Circariae novitiatum communis committimus et confirmamus, illum omnibus facultatibus et iuribus huic muneri per Statuta Ordinis tributis investientes.

III. Pendent abbatae Tongerloënsi pro victu et habitatione unius anni singuli novitii summam francorum quadringentorum et sibi ipsi comparabunt habitum et amictum.

IV. Omnes candidati qui deinceps in abbatiis Circariae Brabantiae admittentur, juxta Ordinis Statuta, octiduo post vestitionem transmittantur ad novitiatum communem Tongerloae, ibique per annum integrum relinquantur.

V. Serventur in educandis novitiis regulae in Statutis Ordinis exaratae; quia vero in iisdem Statutis proponitur ut pro bono regimine novitatus, pro locorum et temporum diversitate, in capitulis provincialibus, certae leges dantur, hanc ob causam curae et diligentiae commissionis in cœtu vestro electae demandamus ut hujusmodi legum condendarum materiam praeparent in proximo provinciali capitulo discutiendam.

VI. Electos ex quibus componitur memorata commissio, Ampl. Dominos Praepositos Abbatae Tongerloënsis, Parchensis et Grimbergensis ad hoc opus deputamus.

VII. Praeter ea quae ad regimen novitatus spectent, colligent etiam supradicti Praepositi commissionis membra, omnes alias observationes ad tuendam et promovendam regularem disciplinam utiles, et in suo cœtu elaborabunt materiam in proximo Capitulo provinciali tractandam, ejusque seriem tempestive, facta videlicet Capituli convocatione, ad abbatiarum Praepositos transmittant.

Mandamus praesens decretum nostrum, cum solita solemnitate proclamari in Capitulo abbatiarum Brabantiae Praemonstratensis Ordinis, infra octiduum ab ejus receptione, et per mensem integrum appendi in loco capitulari a singulis inspiciendum.

Tongerloae, 6a julii 1858.

(S) † M. E. Archiepiscopus Neocaesarensis,
Visitator Apostolicus.